


Franz Albert Aepinus

**Rectoris Academiae Ad Varnum, Francisci Alberti Æpini ... Programma Funebre,  
Qvo Ad Eundum Exequias Viro ... Dn. Andreae Michelssen, Consuli Civitatis  
Rostochiensis ... Abs Relictis ejus Liberis & Hæredibus, Obitum Parentis  
peracerbe lugentibus, solenni Christiano ritu hodie paratas, O. O. Proceres Ac  
Cives Academiae ... convocat ...**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1730?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1796413542>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Protokolle Privatrecht-Programme,  
meist Forderungen in dazujen bürgerl. Familien betr.

(Zinsverträge in nobilitierten Familien:


Nettelblatt, Preen, Quistorp, Schoepffer, Schuckmann  
i. O.)

82 Stücke

Mk1b Gen - 40  
2/3 II

9/1  
Hain.  
1833.





1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30


Leichenprogramme, alphabetisch geordnet  
nach d. Namen d. gefeierten Person, nebst Sterbejahr.

L - Z

1. Quistorp, Anna Christina, geb. Lenthe. 1753
- 2/3. Luger, Johann Georg. 1748.
4. — — — (Vater). 1751.
5. Mantzel, Kaspar. 1735.
6. — , Maria Justine Margarete. 1742.
7. Schweder, Margarethe, geb. Meyer. 1728.
8. Neusling, Catharina Margareta verh. Pries. 1733.
9. Michelsen, Andreas. 1730.
10. Becker, Catharina Elisabeth, geb. Michelsen. 1744.
11. Michelsen, Christoph Andreas. 1746.
- 12/13. Jaddel, Elsabe Dorothea, geb. Michelsen. 1745.
14. Müller, Karl Ludwig. 1761.
15. Nettelblatt, Heinrich [Vater] 1735.
- 16/17. — — — [Sohn] 1761.
18. Neucranz, Anna Margareta. 1726
19. Niehenck, Joh. Balthasar. 1738.
20. Niemann, Johann. 1746.
21. — , Michael. 1729.
22. Oerthling, Joachim Felix. 1745
23. Meyer, Anna Maria, geb. Pauli. 1738.
- 24/25. Engelsen, Maria, geb. Panben. 1738.
26. Petersen, Johann Christian. 1766.
27. Prehn, Wilhelm. 1751.
- 28/29. Pries, Joachim Heinrich. 1763.
30. Quistorp, Hugo Theodor. 1732.
- 31/32. — , Johann Jakob. 1767.
33. — , Lorenz Gottfried. 1743.
34. — , Johannes Christian. 1722.

35. Ressor, Julius Friedrich. 1740
36. Redeker, Heinrich Rudolf. 1716.
37. Richter, David. 1753.
38. Danckwarth, Catharina Emerentia geb. Schaeffer. 1737.
- 39/40. Schaper, Johann Ernst. 1721
41. Scheffel, Heinrich Gustav. 1738.
- 42/43. Schmidt, Jonas. 1745.
- 44/45. Schoepffer, Johann Joachim. 1719.
46. Schuckmann, Heinrich. 1706.
47. Dörcks, Margaretha, geb. Schuckmann. 1731.
48. Schmidt, Isabe Margaretha, geb. Schwabe. 1743.
49. Zeidler, Anna Emerentia, geb. Schwartz. 1729.
50. Senst, Agneta Sophie, 1729.
51. — Hermann Peter. 1728.
- 52/53. Sibeth, Karl. 1734.
54. Sivers, Jakob. 1729.
55. Luger, Christine Elisabeth, geb. Spalding. 1746.
56. Spalding, Johann David. 1757.
57. — Thomas. 1743.
58. Burgmann, Anna Christina, geb. Stein. 1773.
59. Stein, Walthier. 1739.
60. Stever, Johann Kaspar. 1729.
61. — , Johann Valentin. 1755.
62. — , Theodor Mattheus. 1735.
63. Stieber, Georg Friedrich. 1755.
64. Wetken, Catharina Margareta, geb. Stindt. 1743.
65. Stolte, Christian Rudolf. 1680-1731.
66. — — — 1711-1736.  
Heinrich Christian. 1715-1736.
67. — , Peter. 1733.
68. Töppel Margareta Catharina; verh. Oldenburg. 1774.

69. Verpoorten, Theodor. 1728.  
70. Weiß, Margaretha Agnes, geb. von Heidenkopf. 1726.  
71. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
72. Weiß, Gottfried. 1697.  
73. Wetken, Johann Georg. 1716.  
74. Wilde, Joachim. 1737.  
75. Weidner, Johann Joachim. 1732.  
76. Barnstorff, Anna Margaretha, geb. Willebrand. 1724.  
77. Willebrand, Martin Albert. 1746.  
78. Stein, Anna Dorothea, geb. Wolff. 1744.  
79. Wolfraath, Dietrich Samuel. 1753.  
80. Wulf, Catharina Margareta, verh. Stein. 1734.  
81. Zaidler, Johannes. 1727.  
82. Zinck, Johannes. 1732.



9.  
RECTORIS ACADEMIÆ AD VARNUM,  
FRANCISCI ALBERTI ÆPINI,  
S. S. Theol. D. & Prof. Ducal. Publ.

PROGRAMMA FUNEBRE,  
<sup>QVO</sup>  
AD EUNDUM EXEQVIAS  
VIRO

DE PUBLICA PATRIÆ RE LONGE MERITISSIMO,  
PRÆ-NOBILISSIMO *quondam*, AMPLISSIMO  
*ac* PRUDENTISSIMO, DOMINO,

DN. ANDREÆ  
MICHELSEN,

CONSULI CIVITATIS ROSTOCHIENSIS  
GRAVISSIMO FULGIDISSIMOQVE,

<sup>ABS</sup>  
Relictis ejus LIBERIS & HÆREDIBUS,  
Obitum PARENTIS peracerbè lugentibus,  
solenni Christiano ritu  
hodie paratas,

O. O. PROCERES AC CIVES ACADEMIÆ,  
suis quosque honorum Titulis conspicuos,


convocat,  
ut easdem frequente Comitatu cohonestare  
haud graventur,  
quo decet studio, quaque par est humanitate,  
rogans obsecransque.

---

ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.





**T**a mortalitatis nostræ, nec inter

ipsa gaudia jubilaque, plausus & alia lætitiæ signa, proindeque nunquam, immemores nos vivere, vult cunctas mortalium res sapientissimè dirigens providentia divina, quin omni potius tempore aliorum exemplis istius admonitos nos cupiat. Jubilæum præsentem agimus annum, &

propter singulare nobis, in consignatione, exhibitione atque prælectione Augustanæ Confessionis, ante duos annorum centenarios, præstitum, perque duo hæc Secula continuatum: quod & Semini nostro post nos, ad Universi hujus consummationem usque, integrum atque perpetuum infinita DEI bonitas faxit! cœleste beneficium, Supremo Numini, gaudentes atque lætantes, cum ovationibus aliisque gratitudinis, quam illi debemus, nostræ testimoniis, grates exsolvimus humillimas devotissimasque. Nec ipso hoc hodierno die desit illud animarum nostrarum gaudium, necdum solennes, eum in finem instituti, cessant actus Academici nostri, ulterius, DEO volente, ipsius in honorem, laudem & gloriam continuandi. At ecce! has inter festivitates ipsas iterum iterumque docemur, quam inconstantia cuncta, quam vana mundana omnia, quam fragiles atque caducæ humanæ res sint, quam instabilis, quam fallax, quam fluxa rapidaque mortalium ipsa vita. Etenim, qui non nisi jucunda, suavia, læta meditabamur, qui non nisi ovationes, plausus & júbila nobis proposueramus, ad ingrata, dummodò, quæ DEus vult ingrata nobis pronunciare li-

A 2

cet

cet! saltem ad tristia & dolenda, ad moerore dignum objectum, ad planctum lugubresque lamentationes, mentem ac cogitationes nostras convertere jubemur. Ita Rectoratus mei, alioquin una plures de lætis jucundisque commentandi mihi occasiones suppeditantis, finis initio respondet, ut & primo & postremo publico Programmate Rectorali de morte mortalitateque hominum differendi causam nactus fuerim. Vix enim, Academica sceptrâ capeffendo, munus hoc in me susceperam, cum statim stemmate pariter atque virtutum propriarum excellentiâ Prælustri Generosissimæque Matronæ parentandum mihi esset: atque nunc idem D. V. propediem depositurus sceptraque, quæ, nisi graves nonnullas ob causas, solennitates nostras Jubilæas præcipue spectantes, ex Decreto Rev. Concilii, translatio hæc aliquantisper differenda fuisset, ante superius octiduum jam tradidissim, successuro mihi Collegæ conjunctissimo, Viro maximè Reverendo traditurus, ut simili scriptionis genere defungerer, ac Viro Consularis dignitatis & eximiorum publicam in Patriæ rem meritorum, hoc quicquid est extremi honoris exhiberem, rogatum me ac invitatum video. Ex quo, quantum ad memet ipsum attinet, hoc mihi *πρόεσμα* elicio: In omnium rerum & actionum nostrarum tam initio, quam fine mortalitatis nostræ recordari nos oportere. Etenim, uti mors nullo non tempore nosmet exspectat; ita nos eandem omni tempore ac die, sed quid diem dico? horis omnibus omnique momento exspectemus, Christianos non decet solum, sed etiam oportet. Verum equidem per experientiam est, ad aliquos eam lento gradu accedere; attamen &, eâ ipsâ rerum magistrâ condocente, ad alios repente accedit, & non tam subito veniens, quam advolans ut velocissimè, rigidum suum ac inevitabile jus exercendo, properâ, quos vult, manu rapit. Felices eos, & terque quaterque, quin æternum felices, quos non imparatos offendit! Ingressus enim in alteram, ab egressu ex hac vita dependet. Utinam id omnes omni momento, nec die mœstitiæ solum, verum etiam lætitiæ, meditaremur!

Meditandi verò hæc, quæ hætenus scripsi, dedit occasionem inopinus ac inexpectatus obitus Optimi Viri, cujus exuvias hodiè communi nostrum omnium matri, terræ, mandaturi sumus, Præ-Nobilissimi, Amplissimi ac Prudentissimi, Domini ANDRÆ MICHELSEN, Consulis de Civitate Rostochiensis patria longe optimè meriti fulgidissimique, magnum sui desiderium relinquentis. Interfuit ille tam Ecclesiasticis, quam Academicis Jubilationibus nostris, quâ erat, mente devotâ & in DEum gratissimâ, in posterum quoque, ceu sperabamus, solennitatibus nostris interfuturus. A pueritia quippe doctus erat, quantum pretii veræ Christianorum Religioni statuendum sit: quapropter &, eâdem innutritus, conceptum de illâ gaudium mentis externis declarare lætitiæ signis, DEOque pro inæstimabili hoc beneficio grates ore cordeque devoto referre, fas necessariumque rebatur. Ast inter hæc læta Jubilâ nostra insperatus illius abitus dolorem ac mœstitiâ nobis affert, quippe quem non sola illius Domus & necessitudo deplorat, sed omnes boni collugent; non sola Curia Rostochiensis ægrè fert, sed tota Civitas collachrymata mœret; non soli Propinqui plangunt, sed quotquot Virum noverunt, maximi,

maximi, minimi, ad unum omnes contristati dolent. Et certè meritum Eundem publicum atque communem luctum fuisse, tanto securius asseverare ausim, quanto sum de consensu omnium facillique suffragatione certior. Haud tamen melius assertum hocce meum confirmatum iri, reor, quam si, ceu desideratum abs me fuit, Vitæ illius omni laudando modo transactæ Historiam descripsero. Quod autem præstiturus, vereor, ut eximia, quibus florebat Defunctus, dotium atque virtutum ornamenta ornato satis, iisque congruo, stilo posteritati mandare possim. Nihilo tamen minus, quod à me relicta mœstissima æque ac fulgidissima Familia postulavit, quantum licuerit, expediam, quod vivis pingere coloribus non valebo, delineare saltem conaturus.

Ad ortum igitur pie Defuncti quod attinet, excepit eum nascentem Rostochium nostrum, non solum à Musarum sede, sed & flore mercaturæ, quin dudum jam ex antiquo fœdere Civitatum, ut dicebantur, Anseaticarum, & Hexapoleos Vandalicæ nomine per Orbem satis inclytum. Contigitque nativitas hæc, felici Patriæ fidere, die Luciae in fastis dicato, seu XIII. mensis Decembris, Anno post dirum illud, tertiam propemodum urbis partem rapiens, incendium, MDCLXXIIX. Atque sic eo in loco nasci contigit ipsi, qui eum, ad quod nativa velut inclinatione ducebatur, manuducere ac instruere posset, cujusque florem & à mercaturâ celebritatem pristinam, per memoratum sævum ac ferale incendium haud leviter diminutam visam, pro virili tam opere, quam consiliis, esset redintegraturus. Nec ad illum scopum feliciter perveniendi Patria solum, sed Parentes etiam occasionem ipsi dederunt, quin auxilio fuerunt ac adjuvamento.

*Pater* etenim ipsius fuit Nobiliss. quondam ac Præstantissimus Vir, HANS MICHELSEN, Civis loci hujus Primarius, Zyropepta & Mercator industrius; *Mater* verò sexum suum decentibus virtutibus exornatissima Matrona, CATHARINA GRIESEN. Sed hoc statim infortunium, ut à teneris inconstantiam mundanarum rerum experiretur, prima in infantia Nostrum manebat, quod, cum vivendo bimatum vix & ne vix quidem absolvisset, Genitorem optimum amitteret, in optimo virilis ætatis flore phtisi extinctum. Veruntamen in eo vicissim providentiam Divini Numinis erga se benignissimam agnovit pariter atque deprædicavit, quod Parentis abitum adeò feliciter resarcire voluntati Ejus placuerit, ut sibi adolescenti & postmodum non nisi solum *Patris* nomen deesse videretur. Contigerat enim, primo conjugii Auctore dirigente, ut Genitrix Nostri, consumto viduatus anno, nuptias, ut numero, sic re fortunæque, secundas cum Viro Nobilissimo Spectatissimoque, DN. JOACHIMO TARNOVIO, Negotiatore fulgidissimo, atque postremum etiam Senatore hujus loci Prudentissimo, iniret, Anno MDCLXXXI. d. 18. Octobris ritu Christiano consueto consummatas. Qui adeò defuncti Genitoris vices erga Defunctum Nostrum non modo supplevit, sed & adimplevit, ut eum non Vitricum, sed Patrem expertus fuerit, ipseque non Privigni, sed Nati animum adversus eum gereret, filialique honore ac amore illum prosequeretur.

*Avos* illius quod spectat, in superiori lineâ fuit Vir Integer-

B

rimus,

rimus, JACOBUS MICHELSEN, navigationibus commerciisque cum Exteris Civitatem hanc olim haud leviter ornans. *Avia* ejusdem lineæ, Fœmina virtutibus & in DEum pietati deditissima, MARGARETHA BÖRTEN. In linea inferiori *Avus* Nostro contigerat Præstantissimus Vir, ANDREAS GRIESE, è primariis loci hujus Civibus, cerevisiæ coctione mercaturæque exercitio functus. Qui Senex octogenarius, postquam negotiis se abdicaverat, in ædes Filiæ suæ, B. nostri DN. Consulis Matris, se receperat, istiusque curæ se ad exitum usque vitæ commiserat, ipsemet etiam invigilavit, ut Nepotem hunc suum primogenitum, & ipsius in Baptismo nomen adeptum, probe educatum videre ac gaudere posset. Quare non solum, ut vera illi pietas Dominique timor a teneris instillaretur, sollicitè curavit, suisque propriis huc tendentibus adhortationibus eum instruxit, sed & precibus ac intercessione quotidianis DEO commendavit, impositâ manu sæpius avitam illi benedictionem impertitus, quam non frustraneam, sed à Summo Numine exauditam fuisse, cum ætas omnis, tum fata Viri beati condocere. Hujus autem grandævi Senis Conjunx quondam, Nostri autem *Avia*, existit Nobilissima CATHARINA BIERMANNIA, virtutum muliebrum ornatu condecoratissima Matrôna. Hisce Progenitoribus ortum debuit suum piè jam defunctus Dn. Consul MICHELSEN, cujus exuvias hodie Parentum Avorumque cineribus apposituri sumus.

Ut primum lucem hanc adspexerat, quò DEO, à quo datus, redderetur, pietas Parentum curavit, ut ad sacrosanctum regenerationis ac renovationis Spiritus S. fidem in ipso per illud operaturi, tempestive deferretur. Eoque solo non contenti, statim ac ætas infantilis permisit, id sibi præcipuæ curæ duxerunt, ut fundamentis Christianismi imbueretur: quare nec, cum puerasceret, intermiscere, quin eum Præceptorum fidelium institutioni committerent, iis, quæ ad vitam Christianam pariter ac humanæ societati fructuosam degendam faciunt, instruendum. Neque hoc felici caruit successu, quin pro nativâ, quâ pollebat, ingenii capacitate progressus in illis faceret non contemnendos. Nam eximia in illum naturalia, tam corporis, quam animi dona, qui naturæ Auctor est, contulisse, cognitum inter omnes magis est, quam ut heic referri sit opus. Ast advertentes in eo prælaudati, cum Vitricus, tum Mater, singularem ad negotiationes proclivitatem, & in iis, quantum ætas ferebat, gerendis alacritatem, promptitudinem atque dexteritatem prorsus eximiam, non potuere non, quin eum illis destinarent, nutum in hisce divinum se cernere, non perperam arbitrati. Nam nativam ad aliquod vitæ genus, cujuscunque conditionis fuerit, inclinationem, si & reliquæ ad illud requisitæ dotes una concurrant, à Parentibus in liberis pro internâ, ceu dici solet, vocatione, aut divinâ, ita loqui si fas est, destinatione, haberi ac æstimari, nullo non tempore judicare prudentiores. Imprudentius enim agere Parentes, qui pro suo lubitu, ne pro phantasia suâ dicam, ex se progenitos, non habita instinctus aut capacitatis eorum ratione, certo cuidam Studio negotiove manciant, à quo illi deinceps abhorrent, aut ad illud inepti sunt, ex quo non levia haud rarò publicæ rei incommoda enascuntur. Laudandi ergo Beati nostri Parentes sunt, quod eò duxerint

duxerint illum, quò providentiâ cœlestis ipsum dirigere videbatur.

Idem verò primum in eo præstitit, quem supra laudavimus, Vitricus illius, B. DN. TARNOVIUS, in tantum eum ad commercia rectè & utiliter exercenda manuducens, quantum ætas puerilis permittebat. Adolescentem autem Hamburgum, celeberrimam à mercatura liberamque Imperii Civitatem, mediâ Anni MDCXCI. æstate miserunt, ad Avunculum suum magnum, DN. BIERMANNUM, florentissimum tunc temporis inter præcipuos istius loci Negotiatorem. Ubi quidem initio tam in Calligraphia, quam in Arithmeticis, duobus ad propositum ipsius ut quam maximè facientibus instrumentis, studiosè semet ac diligenter exercuit, quicquid adhuc perfectionis in illis sibi deesset, compensaturus. Mox & à modò laudato Viro negotiationibus ipsis applicatus, eum consuetos per annos sese gessit, ut non tam propter secum cognationem, quam fidelitatem, alacritatem atque promptitudinem singularem, instar filii habitus ab illo fuerit, atque multis remunerationibus & auctus, & ornatus.

Cum & Anno MDCC. fieret, ut idem ille, Beatus nunc DN. BIERMANNUS Filium suum, Generumque postea ipsius factum, DN. TÖNNIES, utrumque hac ætate famigeratissimum Mercatorem Hamburgensem, ad exterâs visendas lustrandasque Regiones ablegaret, Noster iisdem sese peregrinationis socium adjunxit, visisque Lipsia, Pragâ & ipsa Imperatoris sede, Viennâ, cum locis aliis compluribus, per Stiriam, in Italiam eosdem comitatus, usque dum Venetias, urbem copiâ rerum omnium refertissimam & mirandam ingressi. Hic ea verò, quod semper doluit, ipsum adversa fortuna manebat, ut in gravio rem, longiorem statim ab initio durationem minitantem, morbum incidere, cujus exitum nec expectare itineris socii poterant, nec Nostro illos propterea Romam, Papalem sedem, & in Regnum Neapolitanum, Magnumque Ducatum Hetruriæ, quorsum alioquin cum iis cursum sibi proposuerat, comitari permittebatur. Interea verò temporis, DEI gratia, cum valetudine vires restituebantur, dum illis retrogredi consultum visum: quare sic iter dirigebant, ut hunc suum sibi Comitem in Venetorum ditione, quam Terram Firmam Geographi dicunt, accersitum ad se, rursus consciscerent, Patriam repetituri. Peragratâ hinc, præter Comitatum Tirolensem, non exiguâ Germaniæ parte, spectatisque variis locis ac urbibus, salvî tandem & incolumes, post absentiam annuam & ultra, Hamburgum rediere.

Quâ in peregrinatione Beatus noster multum peritiæ sibi prudentiæque comparavit, haud minus etiam morum, qui consortium humanum ornant & jucundius reddunt, suavitate imbutus. Neque tamen tum statim patriam Civitatem harum virtutum participem facere secum constituerat, Hamburgi potius adhuc diutius commoraturus, nisi superior providentiâ propositum ejus alium in eventum direxisset. Sentiens enim Vitricus ipsius, jam aliquoties laudatus Dn. Senator TARNOVIUS, virium ingravescentem debilitatem, & lethiferum in morbum incidens, Filii hujus sui, quem intimo affectu paterno complectebatur, præsentiam anhelans, reditum illius efflagitabat. Hic igitur, qua semper fuerat adversus eum pietate, ac-

cedente quoque materno desiderio iussuque, haud diu cunctatus, initio Anni MDCCII. Rostochio se nostro Parentibusque stitit, non solum Patriam in posterum ornaturus, sed & dulcissimæ Genitrici, in altero, qui eam expectabat, Viduatu, solatio præsentissimo & efficacissimo futurus. Non enim multo post, prædicti nimirum Anni mensis Martii d. 22. Vir ille laudatissimus, posteaquam Suis & speciatim etiam B. nostro Dn. MICHELSEN, largissimam Cœli benedictionem apprecatus fuerat, diem suum supremum, haud sine luctu bonorum, obiit. Ex eo tempore ergo Matri semper adfuit, magno non gaudio solum, sed & commodo ac emolumento, dum illius domui laudabiliter præfuit, & res atque negotiationes prudenter direxit, specimina quasi propriæ rei familiaris administrandæ daturus eique prælusurus. Tandem autem, Matre quam lubentissimè consentiente, ad eam animum applicuit, paternas ædes suam in potestatem traditas inhabitare, proprioque nomine mercaturam exercere, Civium in numerum cooptatus, incepit. Quâ in re nulli labori, industriæve nulli pepercit, sed Lipsienses non solum nundinas solenniores frequenter adiit, verum etiam in Regnum Sveciæ vice plus simplici transnavigavit, præterque primariam Regni totius urbem, Holmiam, quam vel sola Regia sedes per universum terrarum orbem celebrem fecit, alia, eaque cumprimis, ubi commercia florere noverat, loca plurima visitans, cum præcipuis Mercatoribus amicitiam contraxit, rebusque suis prospexit ipse. Et in omnibus istis deprædicandam, imò verò deprædicatam ab ipso, Numinis benignissimi affluentem benedictionem expertus est atque persensit.

At unicum ipsi deesse hæcenus videbatur, Adjutorium fidele, quocum curas domesticas dispertiri posset: quamobrem de eo tempestivè sibi adsciscendo, præviâ, pro felici successu, Numinis imploratione, cogitationes suscepit. Invenit autem id ipsum in Virgine Nobilissima & virtutum præstantissimarum decore ornatissimâ, ILSABE CATHARINA RASSOWEN, primogenitâ Viri Nobilissimi quondam, jam nunc beati, DN. HENRICI RASSOW, Prædiorum aliquot equestrium, utpote Stintenburg in Ducatu Saxo-Lauenburgensi, & urbem hanc circumjacentium, Teutenwinckel, Stuthoff, Harms & Bischoffshagen, nec non eximiarum virtutum Matronæ, ANNÆ CATHARINÆ Grädeneris. Quâcum contracta sponsalia, prævia sacerdotali benedictione, mense Octobri Anni Seculi hujus V. auspiciatò consummavit. Nec fuit, qui non faustissimum hocce conjugium, Conjugumque par felicissimum prædicaret, utpote cui, præter diuturnitatem: non enim tres integros supra decennium unicum annos continuatum fuit; nil prorsus quidquam deesse videbatur. Præstantissimum verò donorum, queis Cœlum illud beaverat, æstimanda erat thori fœcunditas, Viro Beato sex liberorum jucundissimorum, Filiarum quatuor, duorumque filiorum, Parente factò. Istæ, per DEI gratiam, in vivis adhuc omnes supersunt, hoc ordine nascendi semet excipientes. Primogenita, proximo post celebratas Parentum nuptias anno d. 14 Julii mundum ingressa, est Præ-Nobilissima magnoque virtutum fulgore corusca CATHARINA ELISABETHA, Anno MDCCXXVI, labente mense Februario

rio elocata viro admodum Rever. Ampliff. & Excellentiff. DN. M. JOHANNI HENRICO Becker, ad ædem D. Nicolao olim dicatam Verbi Divini Ministro optime promerito, & Moralis Phil. Professore Publico, haud pridem inter Academica nostra Solennia Jubilæa, non sine Universitatis applausu, constituto. Quæ Genitori suo triplici quidem partu, at unico duntaxat hodie superstite, dulce conciliavit Avinomen. Pepererat enim primùm filiulam, CHRISTINAM JULIANAM, puellulam lectissimam, Anno 1726. mensis Decembris d. 14. mundo datam, at d. 16. Januarii Anno 1728. in cælum à DEO revocatum. Deinde filium, ANDREAM HENRICUM, qui vero unius octidui spatium vivendo supergressus non est, natus Anni 1727. d. 29. Decembr. & anno proximo inchoante d. 4. Jan. denatus. Cujus locum supplevit, Anno superiori d. 13. Julii mensis editus, ANDREAS JULIUS, cui, Parentum optimorum in solamen, longiorem concedere vitam dignetur, quem penes nostri sunt dies.

Alter a B. Dn. Consulibus relicta Filia est Præ-Nobilissima optimarumque virtutum coronâ exornatissima, ANNA MARGARETHA, Viro Præ-Nobiliff. & Experientiff. DN. JACOBO VALENTINO Mößlern, Med. D. & apud Wismarienses Practico fulgidissimo, ante biennium cum semestri, matrimonio juncta, ex qua ipsa & neptulam jucundissimam Avus amplexus fuit, AGNETAM JULIANAM nominatam, superioris Anni d. 16. Julii mensis mundum hunc ingressam.

Reliquæ duæ Virgines sunt insignium virtutum ornatu florentissimæ, SOPHIA JULIANA, Anno 1715. d. 22. Octobris; & ILSEBE DOROTHEA, altero Anni 1718. die in hanc lucem editæ, tam improvisum Patris Optimi abitum tantò acerbius lugentes, quantò majorem vices suas dolendi causam habent, utroque jam nunc sese Parente orbatas videntes.

Filiorum natu major, vitali huc dum aurâ vescens, est HENRICUS, utero matris Anno 1711. d. 5. Septembris exclusus, cui bonitas DEI prospiciat, vovemus. Secundogenitus autem, de quo non exiguam in ipsâ tenerrimâ infantia spem conceperant omnes, JOHANNES ANDREAS, eopse, quo die illius tertio natus erat, Anno 1714. exituro, morte prorsus immaturâ ex hac vitâ decessit.

Sed & ipsum hoc tam concors, quam fertile conjugium mortalium cuncta finiens mors, quadriennio post, Anno nimirum MDCCXIX. dissolvit, foecundam hancce Matrem, nostro si judicio res starent, intempestive plane hinc abripiendo, Maritum Viduum faciens liberosque orphanos. Quod quam dolorosum existiterit Nostro, vel ex eo conjicere licet, quod admodum difficulter ad repetendum denuò conjugalem statum permotus fuerit. Attamen post elapsum Viduitatis biennium, animadvertens, se solum rei suæ familiari, præsertim desuper concessæ prolis educationi necessariæ haud  
C  
satis

fatis bene præesse posse, tamque divinum nutum agnoscens, quam Necessariorum suorum fidelibus consiliis obtemperans, invocato primo conjugii Auctore precibus ardentissimis, novam sibi vitæ sociam quæsit, non ambiens solum sed exambiens quoque jugalem amorem Virginis tum Præ-Nobilissimæ virtutumque singularium laude commendatissimæ, BARBARÆ ELISABETHÆ GRÖNINGIÆ, Filia natu majoris Viri Præ-Nobiliss. Consultiss. ac Prudentiss. DN. CHRISTOPHORI GRÖNINGII, V. J. D. famigeratissimi, Wismariensium longè meritissimi Consulis simulque Syndici Dexterrimi. Hanc igitur d. 21. Junii Anno MDCCXXX. Christiano ritu sibi junctam copulatamque domum duxit, jucundissimum cum illa suavissimumque matrimonium agens, quanquam id nimis cito disruptum iterum fuerit. Filium namque, cui in S. Baptismo CHRISTOPHORI ANDRÆ nomen impositum, quem in Patriæ spem adolescere Clementissimum Numen faxit! Anno sequente 1721. Aprilis d. 14. excluderat, sed ita, ut illi vitam dando suam amitteret, Maritum charissimum de nudo tristem Viduum, filiolumque, statim ac nasceretur, Matre orbatum relinquens. Ex quo tempore Vir Beatus, siquidem supra laudatæ Filia iis jam dotibus prudentiaque gauderent, ut familiæ præesse, domumque gubernare valerent, viduum potius thorum premere, quam nuptias ter repetitas contrahere maluit.

Sed hæc de privatis atque domesticis piè Defuncti hætenus. In Publicum autem quando nunc oculos mentemque convertimus, inter omnes constat melius, ac à me dici aut describi potest, quam probum Virum providumque Patremfamilias, quam bonum Civem, quam prudentem Senatorem, quam justum rectique tenacem Consulem, is semper & ubique sese præstiterit. Quod CICERO *Lib. 1. de Officiis Cap. 17.* Icripsit: *Cum omnia ratione, animoque lustraveris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus; id sane in B. nostro Dn. Consule MICHELSEN abundanter conspeximus, ut quamdiu vixit, vivum istius se præbuerit exemplum. Quantumvis enim, uti par erat, suas res proprias nequam negligeret, præcipue tamen studium omne, omnesque curas impendit, ut publicum bonum pro virili promoveret, non nesciens, cum publico benè est, benè singulis esse, àque communi bono bonum privatorum dependere. Quo animo cum esset, concredita sibi Civica munia ea industriâ, eâ dexteritate atque fidelitate obivit, ut omnium expectationi satisfaceret abundantissimè. Quibus igitur perspectis, Amplissimus Urbis Senatus, quem ad majora natum cognoverant, suum eundem sibi membrum adsciscere nullus dubitavit, adeoque consueto Matthiæ die Anno MDCCIX. Senator electus non solum, sed & cooptatus fuit. Et qualem isthoc in Statu sese gesserit, conjici vel inde potest, quod ante sexennium, & quod excurrit, Anno videlicet MDCCXXIV, ejusdemque mense Martio*

Martio cunctis suffragiis Consul factus. Atque, sicut hoc pacto de Patria magis magisque benè merendi plus occasionis nactus fuerat, ita nec unquam, siue operæ requirerentur, siue consilia desiderarentur, eidem defuit, sed eam juvandi quamlibet non solum oblatam arripuit, sed & forte deficientem quæsit occasionem. Inde perpetua eum apud posteros mansura laus est, uti hodie, qui Rostochio benè cupiunt, omnes abitum illius non modò dolent, sed lugent etiam, proptereaque contristantur.

Reliquas Viri virtutes, siue in DEUM officia nostra spectentur, siue proximo debita, silentii peplo involvere præstabit, quam incompto dicendi genere explicare, aut insufficienter enumerare. Nec verò de iis prolixo sermone differere, aut undique conquisito flosculorum orationis apparatu easdem exornare necessarium, imo verò ne quidem opus arbitror esse. Tot enim earum in promptu testes sunt, quotquot includunt moenia hæc urbis incolas, uno velut & communi ore easdem laudantes, amissionem autem illarum & carentiam in posterum publico conjunctim fletu condolentes. Nullus enim, autumo, fuerit, cujus non, pro cujusque statu ac dignitate, existimationem, amorem, honorem, venerationem promeritus esset. Non enim exterior duntaxat statura faciesve, sed interiores animi virtutes potius eum omnibus commendabant, siquidem Suis affectum verè paternum, Collegis & amicis sinceritatem ac integritatem sine fuce, singulis gratam humanitatem, egenis beneficentiam, ac ad juvandum, etiamsi haud sine proprio incommodo nonnunquam id fieri posset, singularem proclivitatem: in officio gerendo dexteritatem omnimodam, in consiliis dandis deliberatam prudentiam, in negotiis expediendis promptitudinem & alacritatem haud vulgarem, qualibet occasione demonstrare solitus erat.

Sed nolo de his plura, ad omnes singulosque, qui Virum noverunt, provocans, contestaturos, me, quod & statum meum dedecret, minimè vel adulationi quidpiam tribuisse, vel ἀνέχουα fuisse usum. Properandum quippe mihi ad approperatum Viri beati ex hac vita exitum est, quem verò non meis, sed in extremis illi qui adfuit, Experientissimi Medici, Præ-Nobiliss. DN. CHRISTIAN. FRIDER. STEVERI, Med. D. & Pract. Dexterrimi, verbis sum descripturus. Hujus etenim ex crenâ sequentia profluxere:

*Morbus qui Virum de Republica patria meritissimum inopinato sustulit, calidissimasque lachrymas & communem luctum excitavit, ex acutissimorum genere Asthma fuit convulsivum, degenerans in Catarrhum suffocativum; de quo ita pronunciant Uratislavienses in Historia morborum: Plenus periculi & terroris affectus est Catarrhus suffocativus, qui sæpe intra duodecim horas, aut diem naturalem hominem jugulat, raro ultra diem tertium extenditur. Ita etiam hic res sese habuit. Strictura etenim spasmodica musculorum respirationi inservientium, imo ipsorum Pulmonum, cum*

perrinacissima sanguinis ad pectus congestione extremorumque refrigeratione, intra spatium duodecim horarum, animam egre reciprocantem omnimode a corpore exclusit. Optime quidem valere Beate Defunctus visus est omnibus, cum bonum corporis habitum præ se ferret & integris constaret viribus, nisi quod oppressioni pectoris sub somno ingravescenti, & Catarrhis a capite ad fauces delabentibus jam diu fuisset obnoxius. Respirandi vero difficultas & dolor constrictorius circa scapulas per brachia ad apices digitorum usque sese extendens & ut verbo dicam Asthma Conculsivum biduo demum ante diem fatalem Beatum nostrum ex improvise corripuit. Sed cum transitorius esset affectus non multum ille Eundem sollicitum reddidit, nec a consuetis impedivit negotiis. Donec eodem mane, quo ultima lux Beate Defuncto orta erat, paroxysmus Asthmatis convulsivi gravioribus molestiis stipatus rediret. Hora itaque octava matutina ad ægrotum, deambulanti tamen adhuc, vocatus. cum malum inducias fecisset, Venæsectionem quam negotiis obrutus de die in diem distulerat, sat largam in pede instituendam curavi. Qua feliciter peracta in Lipothymiam incidit, eo minus tamen in considerationem vocandam, cum sub quavis sanguinis missione post venam ligatam ipsi fuisset familiaris, brevi quoque hæc ipsa per asperionem aque frigida fuit discussa. Interim evacuatione sanguinis peracta imo adhibitis tam internis quam externis convenientibus remediis impediri tamen non potuit, quin insultus Asthmatis convulsivi invicem sese excipientes Catarrhum tandem inferrent Suffocativum, eo magis periculosum, quod ob summam respirationis difficultatem, nec in lecto se continere, imo nec stragula in extremis partibus ferre posset: Ob manuum namque pedumque refrigerationem & sanguiferorum vasorum in hisce collapsum ac constrictionem tota sanguinis moles ad interiora & majora circa pectus vasa urgebatur, cum suffocationis majori periculo. Hinc hora quarta pomeridiana in consilium simul vocatus est Vir Excellentissimus & Experientissimus Dn. D. Burchardus, Medicinæ Professor & Poliater meritissimus, Fautor meus honoratissimus, qui ægrotum in sella sedentem omnesque morbi sui circumstantias ordine referentem mecum invenit, validissimaque artis præsidia gravi huic affectui opponi curavit. Interim morbi vis adeo subitanea sumpsit incrementa, ut cum hora octava vespertina rursus ad ægrotum accederemus, nullus plane in carpiis pulsus amplius se proderet, & corpus sudore diffluet frigidissimo. Permoveri se quidem multis tandem precibus passus est Vir Beatus, ut in culcitra refovere rigidissima membra aggredere-tur sicque simul operationem vesicatoriorum, quæ pedibus applicata erant faciliteret; Sed appropinquans fatalis hora, nona scilicet vespertina, omnium remediorum efficaciam antevertit, & eheu! Republicam Consule desideratissimo & dignissimo, Familiam Capite & Parente optimo, Commercio flore suo, Indigentes consilio & ope, me vero Fautore parentis loco colendo cito nimis orbavit. Sit memoria Ejus in Benedictione.

Hæc ille, cujus pio voto & nosmet ipsi mente non minus ac manu subscribimus, Ad Vos autem nunc, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI! memet converto, quid nostri sit in hoc casu officii, Vobis pariter ac mihimet in memoriam revocaturus. Respiciunt

unt autem illa partim publicæ Rei bonum, partim relictam beatè Defuncti Familiam moestissimam, partim nos ipsos, partim & efferendum hodiè triste funus. Amisit Civitas hæc, sedem nobis etiam Musisque nostris præbens, Consulem suum pro illius commodo sollicitum & invigilantem, quin & ipsius bonum, re non minus atque consiliis, hæctenus egregiè promoventem. Quamobrem pro ejus bono DEum precibus nostris interpellemus, fas est. Cum iratum olim peccatis populi Judaici Numen abductionem illis in captivitatem comminaretur, Jussus tamen erat Propheta Jeremias, qui eos *Cap. XXIX. 7.* admoneret: *Quærite pacem urbis, (Luthero vertente: Suchet der Stadt bestes) quò migrare feci vos, & orate pro ea ad Jehovam: nam in pace ejus erit vobis pax; juxta Lutherum: Deum wenns ihr wohl gehet, so gehets euch auch wohl.* Quodsi ergo pro urbe hostili, sed tamen sedem illis præbenti, preces, vota que fundere Israëlitæ jussi fuerunt, quidnî multo magis amicæ nostræ benevolæque sedi id præstaremus? Rogemus itaque supremum Universi & in eò Civitatum Gubernatorem, nostræ huic qui præsent, pie Defuncto Dn. Consuli similes sufficiat, bonum illius proclivitate, prudentia, consiliis, re ac opere promoturos, ut efflorescat non solum magis magisque, sed & perpetuò floreat vigeatque.

Relictis festinatum hunc casum tantò acerbius lugentibus, quantum magis inopinus ille & inexpectatus accidit, condoleamus non solum, sed & coelestia, quæ omnium efficacissima sunt, Spiritus S. solamina, cum omni spiritualis pariter atque corporalis benedictionis genere, votis nostris, ceu mutua Christiana charitas jubet, apprecemur.

Quoad nos autem, exemplo præsentis funeris discere habemus, quam subito nulli parcens mors in nos etiam irrumpere possit, ne longam vivendi spem ducamus, sed omni eam tempore expectemus, quin illi obviam eamus, ut ne nos imparatos offendat. Discamus, corpora nostra, ceteroquin integra, sana, firma & robusta visa, fragiliâ tamen, caduca, quin præter opinionem nostram morti vicina, imò verò proxima esse. Viventes igitur in tempore mori discamus, ut mortui, æternum vivamus.

Beatè Defuncto debemus, ut gratam meritorum illius in Patriam eximiorum memoriam retineamus, gratias ipsi, post fata etiam, pro illis habeamus, & hanc gratitudinem nostram, cum eimet ipsi amplius non liceat, proli ipsius, quo fieri potest modo, declarare nitamur. Et speciatim, dum, quod corruptibile ejus, hodie sepeliendum est, ac in hæreditarium suum reconditorium, ut ex ordinatione divinâ in pulverem ibi revertatur, ad beatam resurrectionem usque seponendum; nostrum erit, exequias hasce frequentes eamus, ostensuri, virtutes atque merita viventium, in morte quoque, à nobis æstima-


D

mari.

mari. Quod ultrò Vos; CIVES HONORATISSIMI ! Relictorum  
haud exiguum in solatium, vel solâ Christiana Charitate motos, fa-  
cturo esse, confido, ut prolixis verbis perhonorificum vestrum comi-  
tatum exorare necesse minimè ducam. Interim, ut, Virum illum  
viventem haud ita pridem solennitatibus nostris Jubilæis lætum ac  
devotum in terris interfuisse, recordamur; ita DEum Altissimum  
Clementissimumque, moneo, precemur, largiatur nobis, per Chri-  
stum, Salvatorem nostrum unicum, hanc gratiam, ut nos vicissim  
cum illo jam beato in cœlis, cumque Sanctorum omnium & Ange-  
lorum choro, gloriam Majestatemque divinam laudibus nunquam  
finiendis celebrando, æternum læti  
Jubilemus !


P. P. sub Sigillo Reſtorali Academico,  
ipſo funerationis die 25. mensis Octobris,  
Anno Jubilæo MDCCXXX.

Conveniemus in æde Jacobæa hora I. pomeridiana.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



LBMV Schwerin 33  
000 184 241





a viro admodum Rever. Ampliff. & Excellentiff. DN. M.  
 HENRICO Becker, ad ædem D. Nicolao olim dicatam Verbi  
 nistro optime promerito, & Moralis Phil. Professori Publi-  
 pridem inter Academica nostra Solennia Jubilæa, non sine  
 tis applausu, constituto. Quæ Genitori suo triplici qui-  
 at unico duntaxat hodie superstite, dulce conciliavit Avi  
 Pepererat enim primùm filiulam, CHRISTINAM JULIA-  
 mellulam lectissimam, Anno 1726. mensis Decembris d. 14.  
 tam, at d. 16 Januarii Anno 1728. in cælum à DEO revoca-  
 nde filium, ANDREAM HENRICUM, qui vero unius octi-  
 m vivendo supergressus non est, natus Anni 1727. d. 29. De-  
 anno proximo inchoante d. 4. Jan. denatus. Cujus locum  
 Anno superiori d. 13. Julii mensis editus, ANDREAS JU-  
 , Parentum optimorum in solamen, longiorem concedere  
 netur, quem penes nostri sunt dies.

a B. Dn. Consulis relicta Filia est Præ-Nobilissima optima-  
 virtutum coronâ exornatissima, ANNA MARGARETHA,  
 e Nobiliff. & Experientiff. DN. JACOBO VALENTINO  
 apud Wismarienses Practico fulgidissimo, ante  
 tri, matrimonio juncta, ex qua ipsa & neptulam  
 amplexus fuit, AGNETAM JULIANAM no-  
 Anni d. 16. Julii mensis mundum hunc ingres-

Virgines sunt insignium virtutum ornatu flo-  
 JULIANA, Anno 1715. d. 22. Octobris; & ILSA-  
 ltero Anni 1718. die in hanc lucem editæ, tam im-  
 imi abitum tantò acerbius lugentes, quanto ma-  
 ndi causam habent, utroque jam nunc sese Parente

u major, vitali hucdum aurâ vescens, est HEN-  
 is Anno 1711. d. 5. Septembris exclusus, cui boni-  
 ovemus. Secundogenitus autem, de quo non  
 errimâ infantia spem conceperant omnes, JO-  
 AS, eopse, quo die illius tertio natus erat, Anno  
 prorsus immaturâ ex hac vitâ decessit.

n hoc tam concurs, quam fertile conjugium  
 iniens mors, quadriennio post, Anno nimirum  
 it, foecundam hance Matrem, nostro si judicio  
 estive plane hinc abripiendo, Maritum Viduum  
 rphanos. Quod quam dolorosum existiterit No-  
 cere licet, quod admodum difficulter ad repeten-  
 lem statum permotus fuerit. Attamen post ela-  
 nium, animadvertens, se solum rei suæ fami-  
 super concessæ prolis educationi necessariæ haud  
 fatis

